

HVLDRICVS VVEINBURGERVS CAESAREAE CAMERAE
Secretarius.



HVldricus ex honesta familia Vveinburgerorum natus est. Is à pueris operã literis dedit, & in artium & linguarum cognitione mediocriter profecit. In primis autem negotia forensia tractavit, atq; ob magnam prudentiam cum adiuncta facundia omnibus gratissimus fuit. Accedebat & vitę integritas, & in rebus agendis diligentia. Id cū Ferdinandus Imperator intellexisset, eū inter suos consiliarios adoptavit, & suę Camerę primariū Secretarium constituit. Itaq; Huldricus, ut Imperatori se gratum exhiberet, res sibi commissas fideliter administravit, & ut aliij idem præstarent, sedulus adhortator fuit.